

Georg Radow

**Georgius Radovius ... Decanus Facultatis Iuridicae In Academia Rostochiensi ...
ad Disputationem Inauguralem Dn. Christiani Friderici Hein/ Sverinensis
Megapolitani, Ad diem 1. instantis Mensis Octobris habendam ... invitat : [P. P.
Rostochii sub sigillo Facultatis d. 20. Septembr. Anno M DC LXVIII.]**

Rostochii: Kilius, 1668

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn741216035>

Druck Freier  Zugang



Naturlicher, Völker- und
bürgerl. Recht


RU jur 1668

Georg Radovius Pr. 10

Christ. Friedr. Klein Prof

Mit Prof.





35
GEORGIUS
RADOVIUS,

J. U. D. & Prof. Publ.

h. t.

Universitäts-
Bibliothek
Rostock

DECANUS

FACULTATIS JURIDICÆ
IN ACADEMIÀ ROSTO-
CHIENSI,

Suo & Dnn. Collegarum Nomine
ad

DISPUTATIONEM INAUGURALEM
DN. CHRISTIANI FRIDE-
RICI Hein/

Sverinensis Megapolitani,

*Ad diem 1. instantis Mensis Octobris
habendam.*

Magnificum DN. RECTOREM, Amplissimum Utriusq;
Reipublicæ Senatam & cæteros omnes omnium Ordinum
Cives Academicos ac literatos officiosè & amicè
invitat.

ROSTOCHII, Typis JOHANNIS KILII, Ac, Typogr. 1668.



Esperienti mihi, quibus vos potissimum verbis compellarem, Cives Academici, dum Amplissimæ Facultatis nomine, ad Examen publicum Clarissimi Candidati nostri, DN. CHRISTIANI FRIDERICI HEINII, promore solito, invitandi abs me estis, occurrit, quod is ipse talem, Disputationis Inauguralis loco, curæ atque industriæ suæ, subjecerit materiem, quam quis inde primo quidem intuitu, non sine ratione habere posset suspectam, quod dubiū adhuc videatur: an jus aliquod vel sit, vel extiterit unquam, quod natura produxerit? Hoc enim est, quod jam olim negavit Pythagoras, qui cum tota Epicureorum schola, teste Cicerone lib. 1. de Legib. jus ipsum, hoc est, quid bonum, quid æquum, quid justum sit, quid honestum, non ab ipsa natura, sed ab hominum opinione & utilitate profectum credidit, Unde etiam Horatius Flaccus lib. 1. satyr. 3. inter alia canit:

Non natura potest justo secernere iniquum.

Et paulo ante:

Jura inventa metu injusti fateare necesse est.

Item: — *Utilitas justæ prope mater & æqui.*

Et veterum quoq; Philosophorum quidam, eò sunt progressi, ut ipsos DEOS, non natura sed arte, i. e. quibusdam legibus & institutis hominum constare, impie statuerint, uti ex lib. 10. Platonis de LL. patet; ubi inter cœtera hæc eorundem verba refert: *Honesta quidem, alia lege, alia natura valere, justa autem nulla esse natura, sed homines inter se assidue de justo & injusto dissidere, quotidieq; ea immutare; qua porro justa statuerint, tantum esse justa lege & artis, non natura.* Aquibus non abhor-

rens

rens, apud Platonem lib. 1. de Repub. Trasymachus, nihil aliud
jus esse dixit, quam quod potentiori placuit, aut populo utile
est; ac proinde quodcumq; is, qui plus posset, lege sua juberet aut
vetaret, jus esse, & quidem solum jus, repugnante plerumq;
natura. Quare Ulpianus Jctus, de lege quadam manumissio-
nem prohibente, verba faciens, *quod quidem, inquit, per quam-
durum est, sed ita lex scripta est. l. 12. §. 1. ff. qui & à quib. manu-
missi. liber. non fiant.* Quibus addi potest & hoc, quod scilicet
apud omnes non sit idem jus, non idem bonum & æquum, cum
alii aliud, & quisque fere probet suum. Exemplo esse possunt
furta, quæ lege naturali prohibita esse dicuntur in §. 1. *Instit. de
obligat. quæ ex del. nascunt.*, adeoq; gravissime, & nonnunquam
capitaliter, furca laqueoq; apud nos puniuntur. l. 56. l. ult. de
furt. *Constit. Crim. Carol. V. artic. 157. & 158.* Cum apud Lacedæ-
monios, præsertim eduliorum, quo magis civium acuerentur
ingenia, impunita fuerint; nisi in ipso fur deprehenderetur
actu, qui, quasi nimis negligenter & imprudenter furatus esset,
modo verberibus modo fame, tū multabatur, teste Strabone lib. 15.
Simili modo, autoritate Theodoreti, Perlas, ex Zaradæ cu-
jusdam instituto, matribus misceri, docet Freinsheim. ad *Cr. r.*
lib. 8. cap. 2. n. 19.; quod & ab Arabibus, Assyriis, Parthis, Medis
Ægyptiis, Phrygibus, Æthiopibus, Galatis, Indis, Hibernis,
Nauræ regionis Incolis, Nomadibus probari, ex variis au-
thoribus ostendit Tiracquell. *Lege connub. 7. n. 30. 31. 32. seqq.* Jure
verò tam naturali, autore Grotio lib. 2. cap. 6. n. 12. quam Gen-
tium, autore Papiniano in l. 38. §. 2. ad L. Jul. de adulter. & Paulo
in l. ult. pr. ff. de R. N. prohibitum est; adeoq; pœna gladii puni-
tur *Constit. Carol. artic. 117. ibiq; Matth. Steph.* Derbicibus præ-
terea & Massagetis, parentes, cognatos, propinquos & quoscun-
que Senio confectos enecare, ac trucidatos immaniter, prodi-
giosoq; devorare fas est; existimantibus, rectius à se potius,
quam à vermibus consumi, Alexander. *Neapol. lib. Genial. dier. 3.*
cap.


cap. 2. quod Lex Pompeia de parricidiis, tanquam crimen asper-
rimum, imò pietati & cognationi naturali contrarium, *argum. l.*
2. & 3. ff. de just. & Jur. nova pœna persequitur; omnium elemen-
torum usum parricide vivo, superstiti cœlum, & terram mortuo
auferedo, *S. 6. Inst. de publ. iud.* Quæ ipsa, cum sexcentis aliis istius-
modi rerum exemplis, quæ percensere rædiolus non minus
foret, ac infinitum, satis abunde demonstrare videntur; non es-
se à veritate adeo remota atq; aliena, quæ olim Cyrenaici, secu-
ri authorem Aristippum, *teste Laërtio in ejus vita lib. 2.* acerrime
contenderunt; quod scilicet nullibi sit justū quid, aut bonum
aut etiam turpe natura, sed lege & consuetudine, quæ tamen
frequenter & per brevi quidem tempore mutantur, corrigun-
tur & abrogantur: Cum ex aduerso constans sit, & æternum,
semper & ubiq; idem, quod ab ipsa natura proficiscitur. *August.*
lib. 19. de ciuit. Dei cap. 21. Æque ac est ignis, qui apud omnes o-
mnino populos, & omni tempore calidus est, & urit; itēq; rerum
bene olentiū odor, qui ab omni ævo cunctis, gratus fuit, morta-
libus. *Aristot. s. Ethic. 7. vid. Job Coras. part. 1. de jur. civil. in art. redig.*
c. 3. Quod si v. rem penitius inspiciamus pensitemusq; ea certe,
quæ hactenus abs nobis sunt proposita, tanti non erunt, uti à
contraria, eaq; communiori atque etiam veriori affirmantium
sententia, dimovere quempiam possint. Si enim primò autho-
ritatibus pugnandum foret, possemus istis Epicuri, quos supra
citauimus, discipulis & asseclis, universam Stoicorum opponere
scholā, quæ nō ab hominū opinione, sed à naturali poti⁹ decreto
jus esse constitutum, rectissime docuit. Quam sententiam,
calculo suo, etiam approbat *Cicero*, quando *lib. 2. de invent. cap.*
22. Initium juris à natura ductum, & *lib. 1. de Legib.* nihil esse præ-
stabilius, asserit, quam plane intelligi, nos ad iustitiam esse na-
tos; neque ab opinione, sed natura, jus defluxisse. Et *M. Seneca*
Pater, qui *lib. 1. controu. cap. 1.* quædam jura non scripta, sed scri-
ptis omnibus esse certiora; alibi autem: non lege sed natura no-
bis

bis attributa; atque iterum: naturam sua jura habere, eleganter ait. Cui rei, docente Corasio, *supra allegato loco*, satis argumenti præstat; quod homines nullis artibus edocti, sed solo instinctu, quem eis indidit natura, rationis (qua una re maxime bellis præstare dicimur) sunt participes; Cui autem rationem natura dedit, eidem, teste Cicerone, & rectam rationem contulit; ergo & legem: cum lex nihil aliud sit quam recta, & à numine Deorum tracta ratio, præcipiens honesta, & vetans contraria. Omnibus igitur (concluditi idem Cic.) ratio, omnibus jus à natura datum est. Nec ignoravit hoc magnus ille Gentium Doctor, *Paulus Apostolus*, qui ad *Rom. cap. 2.* Gentes, inquit, quæ legem non habent, scriptam scilicet, naturaliter ea, quæ legis sunt, facere. Ut adeo eum qui hanc naturæ legem, mentibus hominum divinitus esse impressam, negat, à se ipso dissidere necesse sit; quoniam cum summis Philosophis & A. Paulo contrarium testatur omnium hominum conscientia, *vid. Nic. Hemming. in libello de lege natura statim initio.* Hæc enim, uti rectissimè reliqua, in homine, rectæ rationis scintilla *Lipsio, lib. 1. Polit. cap. 5.* dicitur; honorum itidem & malorum facinorum index est & index; Testis præterea omni exceptione Major; quin &, *monitore Cypriano*, tortor, iudex, actor, reus, carcer, flagellum, executor & carnifex: Ita, si vel omnibus aliis, pro adstruenda thesi nostra, supra adductis destituermur fundamentis, sola hæc nobis testatur. facere possit; dari omnino jus aliquod naturæ, quod, quid rectum & justum, quid injustum, si non ante, certe post facinus aliquod perpetratum indicat; id quod nos Neronis, Calligulæ, Domitiani aliorumque docent exempla. Tanto vero minus quicquam obesse, aut præjudicium inferre, veritati atque rationi poterit, quod non una eademque, apud omnes gentes, illius, quod esse à natura liquido demonstravimus, juris sit observantia. Non enim Romæ quid fiat, sed fieri quid debeat, attendendum est. Accedit, quod

quod, quamvis quoad actum secundum, uti Philosophorum loquuntur filii, jus naturale non rarer per consuetudinem, malamve educationem præpediatur, nihilominus quoad actum primum, saluum semper, ac integrum maneat; maximè, cum à pravo affectu, concludere ad naturalem defectum, haud liceat. Nix enim manet alba, licet quibusdam corruptis videndi organis, viridis vel nigra appareat; & quemadmodum Sol non perit, licet ob interpositas nubes, à nobis non videatur; ita quoque fieri nequit, uti lux animis semper indita, quamvis malitiæ & affectatæ ignorantæ tenebris, non nunquam involvatur, vim atque virtutem suam haud exerat. Plura hac de re cognoscere qui volet, is adeat, velim, stupendum illud Hugonis Grotii, *de Belli Pacisve jure*, opus, ejusdemque præpomis *prolegomena* & c. *Lib. 1.* quæque; ibidem adnotavit Excellentissimus Dn. Bœclerus. Addantur his quoque; Hugo de Roy *lib. 1. capit. priorib. de eo quod justum est*. Seldenus itidem & alii, quos pro firmandis doctissimis suis Thesib⁹ allegavit clarissimus Candidatus noster; de cujus origine, peregrinatione, studiisque; elegantioribus spauca, more institutoque; Majorum, jam subnectenda veniunt. Natus a. est ille, Sverini, A. O. R. M. DC. XL. die 22. Novembr. Viro Nobilissimo, Amplissimo atque; Consultissimo Domino ALBERTO Hein/ U. J. D. & Illustriss. Duc. Megapol. Consiliario & Cancellariæ Directore gravissimo, ut & Decretalium, in hac Universitate, Professore iamigeratissimo: Matre vero, Matrona, omni præclarissimarum virtutum genere, ornatissima, AGNETA Stallmeisters. Cumque; is variis sub Præceptoribus, sacris literariis initiatus esset, & laudabiles in studiis humanioribus, progressus domi fecisset; Anno 1654. cum Domino Parente, Principis sui tum temporis Legato, non ut cælum saltim mutaret, sed acquirendæ solidioris scientiæ atque etiam prudentiæ politicæ causa, primò ad conventum circularem Brunsvigæ habitum, deinde Spiram, ubi Visitatio

litatio & Revisio Camerae decreta quidem, sed reliquorum Principum Legatis, maxima parte, non advenientibus, peragi non potuit, Francofurtum ad Moenum, ubi Conventus Deputatorum habebatur, profectus; Visis insuper Marpurgensi & Giessensi Academiis, Heidelbergam tandem se contulit; convictu simul, ac institutione usus, Viri Excellentissimi Dn. JOHANNIS FREINSHEMII, Sereniss. Electoris Palatini Consilarii & Professoris ejusdem honorarii. Absolvit autem ibidem integrum triennium, non Historiarum saltem atq; Politices, sed & sacratissimae Jurisprudentiae cognitioni, sub Magni nominis JCrts, DN. CHUNONE & BURCHARDO, indefessam suam operam dicando. Inde domum reversurus, Iustratis insignioribus Germaniae locis, & oppidis, fortalitiisq; praepimis ad Rhenum sitis, secundo flumine Ultrajectum demum delapsus est. Inde Amstelodamum, ac deinceps Harlemium, Leydam atq; Hagam Comitum se contulit, reversusq; iterum Amstelodamum, trajecto mari die Zuyder See quod vocant, per Frisiam Orientalem, visa, ibidem Academia Franeckerana & Groeningensi, Comitatum quoque Oldenburgensem, & Ducatum Bremensem in patriam quidem feliciter rediit, Dn. Patrem autem diu superstium non habuit. Quapropter adornatis illius, ab se atq; honoratissima Matre, exequiis, Wittebergam postmodum se contulit, ibiq; perficiendi & absolvendi studii juridici causa, per biennium substitit; Excellentissimi Dn. D. LYSERI, Pandect. Professoris clarissimi, & DN. D. DIETERICI COCHII, Magdeburgensium in praesens Syndici dignissimi, informatione praepimis usus. Quod cum, praesente ubiq; Numinis divini gratia & auxilio, feliciter praestitisset, ad suos, visa tamen prius Lipsiensium Academia, reditum maturavit; quorum consilio tandem, & postquam cognoscendi Status Regni Danici causa, per 6. menses, & quod excurrit, Hafniae, atq; in aliis cele-

celebrioribus illius Regni locis, transegit, ad nos pervenit; ea quidem mente, eoq; animo, uti arctius aliquod cum Astræa, quâ tanto temporis spatio, eo quo fieri potuit, studio atq; industria prosecutus fuerat, contraheret connubium. Postquam ergo hunc in finem, nomen suum Amplissima Facultati professus fuisset, ad examen privatum superiori Mense admissus, eum se præstitit, qui singulorum Dominorum Collegarum voto atq; applausu, supremorum illorum, quos modeste ambit, in Jure honorum, judicaretur dignissimus, eumq; in finem in arenam quoq; publicâ (quam & antehac non sine laude Wittebetgæ præprimis, tentavit) solenniter educeretur; totius Academiæ; omniumq; Eruditorum censura, die 1. instantis Mensis Octobr. exhibiturus elegantissimam, DE JURE NATURALI GENTIUM ET CIVILI, conscripam Dissertationem. Uti verò hic actus eo reddatur illustrior atq; Splendidior, ego, meo Amplissimaq; Facultatis nomine, Magnificum DN. RECTOREM, Amplissimum Utriusq; Republicæ Senatam, Excellentissimos omnium Facultatum Doctores & Licentiatos, Verbi etiam Divini Ministros, Philosophiæ Magistros, quiq; præterea Musarum castra sequuntur & Philosophiâ veram non simulatâ amant, ea qua par est, observantia invito, etiâ atq; etiâ rogitans, uti sua benevolentia, attentione & amica, quibus id libuerit, collatione, Candidato nostro adesse haud gravatè velint. Nulli namq; dubitamus, quin præclarissime hoc vestrum posituri sitis beneficium atq; studium; cujus nos quoque semper erimus memores, si qua demerendi sese nobis obtulerit occasio. Valete feliciter. P.P. Rostochii sub sigillo Facultatis d. 20. Septembr.
Annò M DC. LXVIII.



bis attributa; æque iterum: natu-
ter ait. Cui rei, docente Corasio,
menti præstat; quod homines nulli
stinctu, quem eis indidit natura, rat
belluis præstare dicimur) sunt
rationem natura dedit, eidem, a
tionem contulit; ergo & legem
sit quam recta, & à numine D
cipiens honesta, & verans contraria.
diti idem Cic.) ratio, omnib9 jus a
ravit hoc magnus ille Gentium Doc
Rom. cap. 2. Gentes, inquit, quæ lege
licit, naturaliter ea, quæ legis sunt, et
hanc naturæ legem, mentibus homi-
nam, negat, à se ipso dissidere necesse.
Philosophis & A. Paulo contrariu
num conscientia, *vid. Nic. Hemming. a*
initio. Hæc enim, uti rectissimè reliqu
scintilla *Lipfio, lib. 1. Polit. cap. 5,* dicit
lorum facinorum index est & index
ptione Major; quin &, *monitore Cyp*
reus, carcer, flagellum, executor &
aliis, pro adstruenda thesi nostra
mur fundamentis, sola hæc nobis te
mninò jus aliquod naturæ, quod, qu
injustum, si non ante, certe post faci
indicat; id quod nos Neronis, Call
que docent exempla. Tanto vero m
præjudicium inferre, veritati atque
una eademque, apud omnes gentes,
quido demonstravimus, juris sit obli
mæ quid fiat, sed fieri quid debeat,

the scale towards document

habere, elegan-
loco, satis argu-
octi, sed solo in-
na re maxime,
Cui autem,
, & rectam ra-
lex nihil aliud
ta ratio, præ-
gitur (conclu-
m est. Nec igno-
postolus, qui ad
at, scriptam sci-
adeo eum qui
tus esse impres-
n cum summis
mnium homi-
ge natura statim
e, rectæ rationis
n itidem & ma-
rea omni exce-
r, iudex, actor,
si vel omnibus
ctis destituere-
e posset; dari o-
z justum, quid
d perpetratum
itiani aliorum-
iam obesse, aut
it, quod non
esse à naturali-
Non enim Ro-
m est. Accedit,
quod

